



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LI. De Judice nimis longas dilationes probatorias concedente  
Actori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

sonis per se ipsas in Judicio sine Superioris licentia. ubi autem *c. 1. eod. is 6.* exigitur juramentum calumniæ, additur *in spiritualibus*, quæ non sunt causæ criminales. Textus *in l. 1. § 2. C. b. r.* habent & retinent suam generalitatem, si dicatur, in omnibus causis Civilibus (non item Criminalibus) juramentum calumniæ locum habere. In *l. fin. C. de fid. Instrum.* itidem est sermo de causa civili, quæ respicit instrumenti exhibitionem, non de criminali. In *d. Nov. 124.* non agitur de juramento calumniæ, sed de juramento, quòd litigantes nihil dederint vel promiserint Judicibus, item de puniendo Judice, qui aliquid à Reo accepisse convictus est: vel de puniendo ipso Reo, qui falsò sordium insimula-

vit Judicem in causa civili vel criminali. Fridericus Imperator tantum quitur de duplici causa criminali specie, nimirum de *Pace tenenda*, de *Incendiariis*, ut constat ex *lib. feud.* non generaliter de omni causa criminali: dein non de juramento calumniæ, sed de juramento purgatorio ibi est sermo. Demum adverto, omnia Adversæ Partis argumenta adhuc duplici modo responderi. I. in causis criminalibus civiliter intentari posse habere locum juramentum calumniæ, ut distinguit Vultreus *de p. d. l. 3. n. 87.* non in criminalibus intentatis. II. Exigi posse juramentum Calumniæ in causis criminalibus criminaliter intentatis quoad Accusatores non quoad Reum,

## TITULUS VIII.

### De Dilationibus.

#### DECISIO LI.

De Judice nimis longas dilationes probatorias Actori concedente.

#### SPECIES FACTI.

**D**uo Nobiles Landsassii in vicinia possident Castra Gentilitia, unus eorum, nomine Eberhardus, à multo tempore exercuit venationem in Sylva alterius, cui nomen Osvaldus, quie-

ta semper possessione usque ad annum 1723. quo tempore Osvaldus nescio quo incentore, vel quibus argumentis persuasus, litem movit Eberhardo, & Judicium Petitorium ad vi-

dicendum jus venandi in sua Sylva huc  
 obsequi exercitum ab Eberhardo institui-  
 ta. Facta proin citatione, litis con-  
 sultatione, & aliis ad Juris ordinem  
 legitimisque Processum necessariis  
 iam permissis, probatio juris sui præ-  
 sentis injuncta est Osvaldo, & dila-  
 tio probatoria ad IV. menses concessa,  
 contra quem terminum, utpote nimis  
 longum, cum Jura pro dilatione pro-  
 batoria litigantibus in eadem provin-  
 cia contentibus non indulgeant majus

spatium quam trium mensium. *l. 1. C. h. t. Nov. 69. c. 2.* militare & con-  
 queri cepit Eberhardus. Sed hoc non  
 obstante non modò Judex confirma-  
 vit quadrimestre, sed etiam, cum eo  
 ad finem vergente novam dilationem  
 peteret Osvaldus, eandem rursus in-  
 dulgit, & prævia deliberatione proro-  
 gavit ad alios duos menses. Hac in-  
 dulgentia offensus, & se læsum ratus  
 Eberhardus appellavit ad Tribunal su-  
 perius. Jam est

### Q U Æ S T I O.

An Eberhardus jure appellaverit ab ista dilatione tanquam  
 nimis longa & prorogata?

Quod non, eruere contendes tum  
 ex Jure scripto, vi cujus in ar-  
 bitrio Judicis positum est dilationes  
 pro rei qualitate, personarum conditio-  
 ne, ac aliis circumstantiis, prout ipsi  
 viderint, augere vel minuire, &  
 abbreviare vel prolongare, & proro-  
 gare. *can. si Episcopus caus. 3. q. 2. c. oblat. 17. §. licet de appellat. l. oratione 7. ff. de feriis. l. 1. C. h. t.* tum  
 ex Jure non scripto seu recepto in Tri-  
 bunalibus usu, vi cujus hodie dila-  
 tiones, etiam probatoriæ, dicuntur  
 esse arbitrariæ. Vultei de *Judic. l. 2. c. 7. n. 286. Maranta p. 6. tit. de dilat. n. 15. Gail l. 1. observ. 91. n. 13.*  
 Item deduces ex *l. fin. ff. de feriis,*  
 ubi habetur, in causis civilibus non ni-  
 si unam dilationem à Judice esse con-  
 cedendam: ergo, cum Osvaldo non  
 nisi unica dilatio sit concessa (nam

illi duo menses adjecti non fuerunt  
 nova dilatio, sed prioris tantum ex-  
 tensio & prorogatio.) appellari ab ista  
 dilatione sic prorogata non potuit ab  
 Eberhardo. Fulcitur hæc opinio indè,  
 quòd hodierno Jure à sententia inter-  
 locutoria non detur appellatio. *l. 7. C. quorum appell. non recip. Trident. S. 13. c. 1. §. 24. c. 20. de ref.* Sed dila-  
 tiones conceduntur tantum per sen-  
 tentias interlocutorias: ergo.

Quòd sic, persuadent mihi textus  
 in *c. dilectus de Procurator. c. 1. ut lit. non contest. c. 15. de sent. & re jud. ubi*  
 generalis datur doctrina, quòd ab om-  
 ni sententia, etiam dilationem ni-  
 mis longam, aut nimis brevem con-  
 cedente, appellandi sit facultas. Con-  
 firmat me in præfenti casu, quòd ex-  
 cessiva dilatio fuerit concessa Actori;  
 licet enim, si Reus eam petisset & ob-  
 tenuisset

tinuisset, Actor forsan appellare non potuisset, neganda tamen non est appellandi facultas Reo, si Actori nimis longa concedatur dilatio; nam ratio disparitatis est, quod Actor sponte veniat ad Judicium, consequenter merita causæ suæ jam prius habere debuerit bene perspecta: e contra Reus trahatur invitus & insperatè ad Judicium, adeoque justiore habeat causam petendi dilationem longiorem & productiorem. Vulteius *lo. cit. n. 277.* Denique vix non convincit me, quod dilationes probatoriæ in causis civilibus sint peremptoriæ ex Juris dispositione. *l. 7. l. fin. ff. de feriis. l. 1. C. b. t.* ita ut prorogari non possint, nisi de justo impedimento petentis prorogationem constet. *Gail. observ. 91. cit. n. 2. 3.* cujusmodi impedimentum vel justam prorogandi causam allegare & probare non potuit Osyvaldus. Ad stipulantur meæ sententiæ Donell. *lib. 23. comment. c. 6.* Petr. Gregor. *l. 48. Syntagm. c. 8.* Vulteius *lo. cit.* Corvin. *lib. 3. apborism. Jur. Pont. tit. 19.* & alii à Barbosa congesti, prout testatur Emm. Gonzalez ad *c. 4. b. t. n. 1.*

Nec difficulter me expedit à rationibus dubitandi, vel opinionis negativæ. Licet enim spectato Jure scripto & non-scripto dilationes sint arbitrariæ, & dicantur arbitrariæ, non tamen tales sunt omnino illimitatè &

præcisè voluntati Judicis relicta; ita, ut is pro varietatè & circumstantiis causarum, loci, personarum, & currentis impedimenti, quo potest longiorem dilationem, vel ejus prorogationem, fuit justè impeditus, ne probationes vel exceptiones suas in dato termino produceret, regulare habeat arbitrium suum juxta Juris Regulas, & sanctiones, ne alterutram partem gravet, nimis breves vel nimis longas dilationes concedendo, vel concessas prorogando sine justa causa: às enim gravaret iniquè, & sic appellandi justam præberet causam. *Allegat. l. fin. ff. de feriis mens & interdictio est,* ut in civilibus Judicis in singulis causis non nisi unica dilatio concedatur. e. g. ad procedendum in terminum una, & non altera nisi cognitâ: in capitalibus verò Judicis Reo tres, accusatori duæ, causâ cognitâ. Sed hoc modo intellecta Lex mihi non adversatur. Unum notandum; quia à sententiâ interlocutoria gravamen inferente non repugabile, qualis est ista teste Emm. Gonzalez ad *c. 4. b. t. n. 4.* cum Firmosius *c. 1. b. q. 1.* appellare etiam hoc licitum est, ut docui ad *Titulum Appellationibus n. 17. in meo Casu.* An verò hujusmodi Appellationes deferatur in Praxi, non deest ratio dubitandi.